

quatenus ad progressum, non aliter quam causa cum causato ac motus coeli aeternus cum hisce motibus nostratisbus, qui etiam si et alterius sint speciei ab illo, ut rectus a circulari et generis etiam alterius, ut alteratio a circulari et hi corruptibles sunt, circularis 5 aeternus, attamen ab illo uti a causa pendent, quod et libro 3. De motu, et multis aliis locis disputavit. Quod si ex sua doctrina cau- sata alteratio a circulari dupli genere distat et ratione praedica- menti diversi et ratione corruptibilitatis, non tamen quicquam prohibet ab illa causa sibi aequivoca eam pendere.

10 Quid ergo prohibebit Socratem ab idea hominis pendere ra- tione causati a causa, etiamsi haec aeterna, ille corruptibilis sit in eadem tamen specie? Suntque haec singularia ab illis tamquam multa ab uno et ad unum. Quod fieri posse in longe diversis ge- neribus probavit ipse primo De ente libro. Quatenus ergo ad pro- 15 gressionem causae in causata, haec nostratia ad ideas sunt, ut ab uno et ad unum: quatenus vero ad perfectionem aeternitatis et corruptionis aequivoca sunt.

Nam ipse alicubi ita docet:<sup>48</sup> *Singulare enim aequivocum est ali- quid et praeter substantias et aliorum est in multis unum. Sic ideae 20 in aeternis una in multis individuis aequivocum quoddam est: nullae ergo sunt obiectiones illae.*

Illud vero quod superioribus illis subdit:<sup>49</sup> *Praeterea vero per quos modos ostenditur, quod sunt ideae, secundum nullum eorum vi- detur. Formas argumentorum videtur improbare, quibus ideae 25 esse astruebantur. Sed videtur id non contra Platonem, sed contra Speusippum atque Xenocratem eius hostes directum, ex his quae sequuntur:*<sup>50</sup> *Exactissime rationum aliae eorum, quae ad aliquid faciunt ideas, quorum non aiunt esse genus per se, aliae tertium hominem dicunt. Quorum quia nihil in toto Platonico volumine reperi-*

<sup>48</sup> καθ' ἔκαστον [καθέκαστον] γὰρ όμωνυμόν τι ἔστι καὶ παρὰ τὰς οὐσίας, τῶν τε ἄλλων ἔστιν ἐπὶ πολλῶν ἐν. [Aristotel, Metaph 990b.6 – 8]

<sup>49</sup> ἔτι <δὲ καὶ> καθ' οὓς τρόπους δείκνυται ὅτι ἔστι τὰ εἰδη, κατ' οὐδένα φαίνεται τούτων. [ARIST. Metaph. 1079a.4 – 5]

<sup>50</sup> ἔτι δ' οἱ ἀκριβέστατοι τῶν λόγων οἱ μὲν τῶν πρός τι ποιοῦσιν ιδέας, ὧν οὐ φασιν εἶναι γένος καθ' αὐτό, οἱ δὲ τὸν τρίτον ἀνθρώπον λέγουσιν. [ARIST. Metaph. 1079a.11 – 13]